

Psalmus 50

- 1 Miserere mei, Deus, secundum misericordiam tuam.
- 2 Et secundum multitudinem miserationum tuarum,
dele iniquitatem meam.
- 3 Amplius lava me ab iniquitate mea:
et a peccato meo munda me.
- 4 Quoniam iniquitatem meam ego cognosco:
et peccatum meum contra me est semper.
- 5 Tibi soli peccavi, et malum coram te feci:
ut justiviceris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.
- 6 Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,
et in peccato concepit me mater mea.
- 7 Ecce enim veritatem dilexisti:
incerta et occulta sapientiae tuae manifestasti mihi.
- 8 Asperges me hyssopo, et mundabor:
lavabis me, et super nivem dealbabor.
- 9 Auditui me dabis gaudium et laetitiam:
et exsultabunt ossa humiliata.
- 10 Averte faciem tuam a peccatis meis:
et omnes iniquitates meas dele.
- 11 Cor mundum crea in me, Deus:
et spiritum rectum innova in visceribus meis.
- 12 Ne projicias me a facie tua:
et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.
- 13 Redde mihi laetitiam salutaris tui:
et spiritu principali confirma me.
- 14 Docebo iniquos vias tuas:
et impii ad te convertentur.
- 15 Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis meae:
et exsultabit lingua mea justitiam tuam.
- 16 Domine, labia mea aperies:

et os meum annuntiabit laudem tuam.

- 17 Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique:
holocaustis non delectaberis.
- 18 Sacrificium Deo spiritus contribulatus:
cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.
- 19 Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua Sion:
ut aedificantur muri Jerusalem.
- 20 Tunc acceptabis sacrificium justitiae, oblationes et holocausta:
tunc imponent super altare tuum vitulos.